This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

P=40
533

HARVARD UNIVERSITY LIBRARY

Ic40.533

Harvard College Library.

FROM THE

CONSTANTIUS FUND.

Established by Professor E. A. SOPHOCLES of Harvard University for "the purchase of Greek and Latin books, (the ancient classics) or of arabic books, or of books illustrating or explaining such Greek, Latin, or Arabic books." Will, dated 1880.)

Received 7 November, 1895.

DOMGYMNASIUM ZU NAUMBURG A/S.

JAHRESBERICHT.

OSTERN 1879.

INHALT:

1. **Quo sermone ei, qui ad Ciceronem litteras dederunt, usi sint** vom Oberlehrer Dr. ***Emil Opitz.***

~~2. Etymologische Erklärung [illegible]~~

~~3. Schulnachrichten vom Director Dr. *H. Anton.*~~

NAUMBURG A/S. 1879.

DRUCK VON H. SIELING.

1879. Progr. Nr. 203.

L e.40.523



Constantius fund.

Quo sermone ei, qui ad Ciceronem litteras dederunt, usi sint.

Cicero ad Paetum (Ep. IX, 21) scribit: Quid tibi ego videor in epistolis? nonne plebeio sermone agere tecum? nec enim semper eodem modo; quid enim simile habet epistola aut iudicio aut concioni? quin ipsa iudicia non solemus omnia tractare uno modo: privatas causas et eas tenues agimus subtilius, capitis aut famae scilicet ornatius; epistolas vero quotidianis verbis texere solemus. Quem hic Cicero dicit plebeium sermonem, Stinnerus* ita interpretatur, ut statuat ‚communem omnis generis epistolarum earum quidem, quae vere dicantur epistolae, eam esse consuetudinem, ut sermone magis quotidiano in iis scribendis utamur quam in libris aliis ullis.' Nimirum et ei, qui inter se confabulantur et ei, qui epistolas scribunt, in verbis eligendis, struendis, collocandis simplex dicendi genus consectantur. Summam vero disputationum suarum idem p. 21 proponit his verbis usus: ‚hoc tamen — perspectum fuerit Ciceroniana quidem esse dicenda, quae epistolae Ciceronis vel thesauris linguae latinae vel arti et praeceptioni latine scribendi praebeant, at ita Ciceroniana, ut propius abesse, si volueris comparare, permulta dicas ab Ennii poematis vel Plauti et Terentii fabulis Horatiive sermonibus epistolisque, quam ab ea, qua Cicero in ceteris fere libris dictione usus sit.' Eadem fere ratio est earum epistolarum, quae ad Ciceronem datae sunt. Nam qui eas conscripserunt, ipsi quoque ad familiarem loquendi consuetudinem quam proxime accesserunt atque etiam inde multa deprompserunt, quae ne in epistolis quidem ad Atticum missis inveniantur.** Eidem tamen cum docti et eruditi homines essent in iisque oratores (Caelius, Asinius Pollio), rerum scriptores (Lucceius), in aliis scriptionis generibus versati (Sulpicius, Caecina, Matius, Trebonius) et cum scirent, cui scriberent, purum atque elegans

---

* Eius tria programmata de eo, quo Cicero in epistolis usus est, sermone nuper in unum collecta prodierunt Oppeln 1879.

** Magnum discrimen intercedere inter has epistolas et eas, quae ad familiares datae sint, Wölfflinus in dissertatione ‚Bemerkungen über das Vulgärlatein' Philologo XXXIV p. 137—165 inserta statuit, quam excerpsit Harre (Ztschr. f. d. Gymn.-Wesen. XXXI. Novemb. 1877): „Das Genre der Brieflitteratur schlechtweg dem sermo familiaris oder plebeius zuzuweisen, sei unstatthaft. Gerade die sogenannten epistolae ad familiares hätten ziemlich wenig mit dem sermo familiaris zu thun, wogegen die epistulae ad Atticum fast durchgängig den Verfasser im stilistischen Hauskittel zeigten. Ciceros Briefe seien unter sich so sehr verschieden, dass er je nach dem Adressaten ganz anders schreibe. Nur in den Briefen ad Att. gestatte sich C. den vulgären Ausdruck commodum (eben) mit folgendem cum c. ind. perf. (commodum discesseras, cum venit) und vorwiegend in diesen Briefen die Wendung narra tibi (denke dir), narrabo tibi (ich will dir etwas sagen). Das verstärkende, mit Adjectiven und Adverbien verbundene bene gehöre der Volkssprache an (9mal im bell. Hispan.) und habe sich fast unrechtmässig in die Litteratur eingedrängt, von C. würde es sehr oft in den Briefen, freilich auch in den Reden und philosophischen Schriften gebraucht, dagegen von Cäsar, Sallust, Livius (mit Ausnahme von 28, 44, 8), Quinctil., Tacitus verschmäht. Consentiunt cum his ea, quae Stinnerus de ‚nullus' pro ‚non' posito observavit p. 31: pertinent vero huc loci, ex epistolis Attico quidem inscriptis repetiti omnes, hi: nullus venit XI, 24, 4; nullus discederet XV, 22; XIV, 3, 1 Corumbus Balbi nullus adhuc sc. venit.

dicendi genus consectabantur. Unde fit, ut ex his epistolis non solum, quibus verbis et structuris in sermocinandi consuetudine Romani usi sint, intellegamus, sed etiam auream illam, quae dicitur, latinitatem melius cognoscamus. Quamobrem operae pretium esse existimo ea, quae mihi iterum ac saepius legenti memorabilia visa sunt, sub uno quasi quodam aspectu ponere.* Quae ita dispertiam, ut altera parte de eis, quae ad grammaticam spectent, altera de eis, quae ad semasiologiam sive vim et significationem verborum pertineant, exponam. Cum autem grammatica in etymologiam, quae vulgo dicitur, et syntaxin distribuatur, primum de formis verborum explicandum esse videtur. Atque e prima quidem declinatione huc pertinet gen. plur. amphorûm, quo utitur Lentulus 12, 15, 2 duum millium amphorum (cfr. Neue I, p. 20). Quamvis non huius loci sit, mihi liceat commemorare verbum copia in singulari numero ea vi, qua pluralis praeditus esse solet, usurpari a Pompeio sexies in duabus epistolis (ad Att. VIII, 12 A et C). Secundae declinationis nomina, quorum gen. plur. item in — um terminatur, duo inveniuntur: praefectos fabrum in Caesaris epistola (ad Att. IX, 7, 2) et adversarium in epistola Pompeii (ad Att. VIII, 12, D 2). Ex nominibus tertiae declinationis tria huc pertinent, familiaris, navis, finis. Atque ablativum familiare exhibet in epistola Sulpicii (4, 12, 2) editio Orelliana, unde Neue I p. 225 petivit, Wesenbergius autem et Baiterus lectione codicis non commemorata familiari in textum receperunt. Ablativus nave (cfr. Neue I, 215) exstat in epistola Asinii Pollionis (10, 32, 4), apud quem eundem (10, 32, 4) finis generis feminini est. Ex quarta et quinta declinatione huc spectant duo verba, impetus, cuius dativus in -u terminatur 10, 24, 3 et fides, cuius genetivus fide 10, 17, 3 e codice Mediceo ab Orellio et Baitero receptus, a Wesenbergio repudiatus est.

Ex adjectivis abundantibus, quae dicuntur, unum huc pertinet inermis, cuius genet. plur. a Lepido 10, 34, 1 in — orum, a Bruto 11, 10, 3 in — ium terminatur. Comparativi et superlativi ab aliis raro aut omnino non usurpati exstant 10, 30, 3 et 4 (Galba) dexterius et sinisterius (cfr. Neue II, 104), 10, 18, 3 sollicitior (cfr. Dräger I, 23), 8, 15, 1 temperatior (Dräg. I, 24); 8, 6, 4 ferventissimus (cfr. Neue II, p. 119) deditissimus (id. II, 122), 11, 9, 2 persuasissimus (id. 125) 11, 13, 2 extenuatissimus (id. 127), 10, 8, 1 fructuosissimus (quo etiam Caesar utitur). Validissime, quod est in epistola Caelii 8, 2, 1 apud Ciceronem eiusque aequales non videtur in usu fuisse. Terminationis — umus unum vestigium in codico Med. reperitur 4, 12, 2 (Servius) deterromod acerbissume. Denique mihi liceat hoc loco commemorare optimas et cunctator adiectivorum vice fungi apud Caelium 8, 10, 3: nosti Marcellum, quam tardus et parum efficax sit, itemque Servius quam cunctator, et 8, 16, 2: Vide, ne, dum pudet te parum optimatem esse —.

In numeralium usu a communi loquendi consuetudine recedit Galba, qui 10, 30, 1 scripsit secundam et quintam tricesimam (cfr. Neue II, 163) et Cicero filius 16, 21, 1: post diem quadragesimum et sextum (Wes. ‚et' uncis inclusit). Quid? quod apud Lentulum 12, 15, 4 binas legationes est, pro quo ‚duas leg.' exspectas, quem locum Neue II, 170 praetermisit.

Pronominis personalis ‚ego' dativus in codice Mediceo saepenumero in mi contractus invenitur. Cur Wesenb. et Baiter hanc formam, quae in Vatinii epistola 5, 10 ter obviam fit, ex epistolis exturbaverint, non intellego, praesertim cum ex eis, quae Neue II, 180 disputavit, appareat cum alios scriptores tum Horatium in sermonibus et epistolis ea forma saepe usos esse. Idem statuendum est de forma accusativi meme (in eiusdem Vatinii epistola 5, 9, 1), quam item illi epistolarum editores reiecerunt. Rectius mihi Orellius iudicare videtur, qui ad illum locum adnotat: Talia quoque, ut nonnulla in sequentibus, editores praeter Victorium pravo consilio ad Tullianum sermonem redigere conati sunt. Cui eo magis assentior, quod Vatinium verbis verborumque formis paulo magis priscis admodum delectatum esse dicier, disperdidit alia, de quibus infra dicendum erit, comprobant. Contra 15, 19, 2 (C. Cassius), ubi Orellius de coniectura omnium nostrum ediderat, ab illis recentioribus editoribus lectio codicis Med. omnium nostrorum restituta est (cfr. Neue II, 185). De ceteris pronominibus huc etiam uterque et neuter

* Bernhardy Hist. lit. Rom. p. 822 haec dicit: Die vielen Einzelnheiten in Sprache und Wortgebrauch, der oft im sermo familiaris sich bewegt, verdienen eine sorgfältige Forschung.

pertinent. Atque illud quidem plurali numero, ubi singularis exspectatur, exstat apud Caelium 8, 11, 1, qui utrisque consulibus dixit. Quod tamen ne ab aliis quidem scriptoribus eius aetatis prorsus alienum esse Zumpt. gramm. lat. § 141 et ad Cic. in Verr. 3, 60, Haase ad Reisig. gr. lat. not. 337 demonstraverunt. Longius a recepto usu discessisse existimandus est Dec. Brutus 11, 20, 3, cum ab utrisque nobis dixit, quod Cicero in epistola, qua illi respondet, quasi corrigens in ab utrisque vestrum mutavit. (Magis etiam ad Ciceronis consuetudinem accommodatum mihi esse videtur, quod Wesenberg. ex coniectura posuit ab utroque vestrum). Nec minus ab illius aetatis consuetudine, ex qua dicendum est quorum uterque, abhorret, quod in epistola L. Cassii 12, 13, 4 est ex quibus utrisque civitatibus (Cicero, nisi fallor, scripsisset: ex quibus ambabus civitatibus secundum Bruti locum § 94 quorum exstant amborum orationes.) Simile est, quod in epistola Pompeii (ad Attic. 8, 12, C 3) exstat: id quod neutrum nobis hoc tempore contigit, siquidem etiam hic relativum genetivo casu enuntiatum exspectamus. Liceat mihi hoc loco commemorare ullus interdum in sententia, quae non negativa sit, poni, ut 8, 9, 3 (Caelius) Puto etiam, si ullam spem mihi litteris ostenderes, me isto missurum alios; 9, 9, 3 (Dolabella) ut ego, si ullo modo potero, ad te advolem; ad Attic. 8, 12, D 2 (Pompeius) si ulla ratione etiam nunc efficere potes. Quamquam non ignoro ne Ciceronem quidem tali eius pronominis usu prorsus abstinere, ut ad Fam. 15, 19, 2.

De formis verborum, quorum perfectum in — avi, evi, ovi terminatur, disputaverunt Neue II, p. 527 sq. et Frohwein Programm. schol. Gerae 1875. Qui cum genera orationis non distinxerint, a proposito non alienum esse videtur omnes eiusmodi formas et plenas et contractas enumerare. Hae igitur fere sunt: 5, 1 administrastis, 5, 10 mandasti, 6, 7 imperasti, 8, 4 sperasti, 8, 9 tractasti, 8, 16 significasti, 12, 14 praedicasti — 12, 15 nuntiaverunt (Lentulus) — 8, 10 excitarunt, 8, 11 confirmarunt, pugnarunt, laborarunt, 8, 12 curarunt — 12, 14 desperaverint (Lentulus), 12, 15 firmaveritis (idem) — 6, 7 optarit, 8, 1 delectarit, 8, 6 mandaris, emanarit, 8, 8 iudicarit, 8, 10 mandaris, 8, 11 reformidarint, 10, 23 avocarit, 10, 31 probarit, 10, 35 indicarim, 11, 3 regnarit, 11, 28 interpellarit, 12, 13 supportarit — 8, 6 existimaveram, speraverat (Caelius), 10, 30 fugaverat (Galba), 12, 15 comparaverat (Lentulus) — 5, 1 existimaram, speraram (coni. Wesenberg., Med. sperabam), 8, 1 dissiparant, 8, 3 negaras, 8, 8 turbarat, aestimarant, 10, 21 vindicarat, sanarat, 10, 33 collocaram, 11, 28 speraram atque optaram, 12, 13 compararat, 12, 15 iudicaratis, iuraverant (Lentulus) — 10, 8 temperavissem (Plancus), 4, 5 declarassem, 8, 2 praeparassem, 8, 4 superasset, 8, 6 occupasset, 8, 8 iudicassent, iurasset, 10, 18 sublevassem, 10, 23 armasset, 10, 32 depugnasset, imperassetis, 10, 35 probassem, 11, 3 postulassemus, 12, 12 occupasset, confirmasset, 12, 15 desperasset (Lentulus) — 8, 9 obligaris et 10, 17 servarit (fut ex.) — 8, 1 vapulasse, 8, 10 renuntiasse, 8, 12 tentasse, 10, 8 simulasse, dissimulasse, 10, 33 occupasse, 10, 34 iudicasse, 11, 2 spectasse, 12, 12 denegasse, 12, 14 comparasse (Lentulus) — 5, 14 et 6, 7 consuesti — 8, 17 consuerunt — 4, 5 consueris — 8, 11 decrerat, decrerant, 10, 21 decreram — 8, 1 nosti (bis), 8, 3 nosti (bis), 8, 11 nosti — 8, 4 norunt — 4, 5 commoveris (Servius), 8, 16 cognoverim (Caelius) — 6, 7 ignorit, 8, 15 commorit — 12, 15 cognoramus (Lentulus) — 10, 32 novisset (Asinius Pollio), 12, 15 cognovero (Lentulus) — 4, 5 cognoro, 8, 13 cognoro — 10, 17 cognosse, 10, 23 nosse. Age vero consideremus verba tertiae et quartae coniugationis, quorum perfectum in-ivi desinit, quibus verbum eundi eiusque composita addere libet. 5, 14 requisivi, 12, 13 petivimus, 8, 8 et 8, 16 petii, 10, 4 scii, 8, 12 resciit, 15, 19 quaesiit, 12, 15 desiimus, 5, 10 asciverunt, 10, 21 petiverunt, 12, 13 arcessierunt, 8, 9 arcessieris, 10, 21 descierit, 11, 1 scierimus, 12, 4 petieris, 8, 4 desieramus, 10, 21 petierat — 10, 33 arcessistis, 12, 15 petisset, 11, 2 quaesisse, 12, 15 petisse. — 8, 8 et 12, 12 audivi, 8, 2 audieris, 11, 4 inservieris, 12, 11 audierunt, 8, 16 audierat, 10, 4 audieram, 8, 10 audiero, 8, 15 audisti, 12, 13 expedistis, 10, 34 et 11, 20 audissem, 8, 8 audisses, 8, 16 et 11 10 audisset — 8, 4, 8, 13, 8, 15, 11, 13a iit, 12, 14 redii, 4, 5 interiit, 8, 2 introiit, 10, 30 rediit, 10, 33 interiit, 10, 30 transiimus, 4, 5 interierunt, 8, 11 circumierunt, 10, 15 et 34 transierunt, 12, 14 subierim, 12, 15 inierint, 10, 34 ierant, 8, 6 introierant, 8, 13 transierant, 10, 3 exierat, 10, 11 redierit (fut. ex.), 4, 5 obisset, 6, 7 exisset, 8, 31 transissem, 11, 10 transisset, 4, 2 obisse, 8, 16 subisse, 10, 4 et 12 15 redisse, 10, 33 interisse (bis), 8, 1, 10, 33, 11, 13, 11, 28 (bis) perisse, 15, 19 exisse. Ex his ver-

[illegible] sint, Romanos, cum epistolas exararent [illegible] praetulisse apparet.

[illegible] Atque secunda persona praes. passivi in -re desinit [illegible] et apud Pompeium ad Att. 8, 12, c 4 hortare, [illegible] facit. Quibus addo 8, 4, 1 (Caelius) mirere. [illegible] et nemmata invenitur in epistola Vatinii 5, 9, 1 dicier. Confieri, [illegible] exstat, est in epistola Servii Sulpicii 4, 5. 1. Quod in epistola [illegible] et Oppii ad Att. 9. A 1 est, confieret a nullo alio illius [illegible] usurpatum esse e lexicis discimus. Jam vero in Caelii epistola 8, 9, 1 haec leguntur: Post repulsam vero risus facit (Hirrus competitor): civem bonum ludit et contra Caesarem sententias dicit, exspectationem corripit; Curionem prorsus curionem (?) non mediocriter obiurgatus ac (Orellius hac) repulsa se mutavit, ubi obiurgatus activa vi praeditum est, tanquam in usu esset verbum deponens obiurgari. Quod cum nusquam reperiatur et sententia desideret praesens ‚obiurgat', quod antecedentibus ‚facit ludit, corripit' respondeat, in sequentibus autem requiratur verbum ‚tantum' vel simile quid (Man. scilicet, Orellius totus conieverunt) suspicor Caelium scripsisse: obiurgat, tantum hac repulsa se mutavit, quod sic exaratum: obiurgat tatu facillime librario ansam errandi et mutandi praebere potuit. De forma placitus, quae 8, 4, 4 (Caelius) 11, 1, 2 et 6 (Dec. Brutus), ad Att. 8, 12 A. 4 (Pompeius) exstat, cfr. Neue II, 339, qui docet eam ap. Cornificium 2, 1, 1; 2, 13, 19 et ap. Sallust. Jug. 81, 1 inveniri. Idem doctissimus vir consulendus est II. p. 338 de singulari forma, quae in epist. Ciceronis filii 16, 21, 2 est successa esse. Cui simile illud quidem, sed paulo minus audacter dictum est, quod ap. Liv. II, 35 exstat: nolle successum non patribus, non consulibus, quem locum Neue praetermisit. Expertum habeo solus Plancus dixit 10, 24, 3 pro eo, quo Cicero aliique utuntur: expertus scio, expertus dico. In transitu mihi commemomare liceat participiis cum verbo habendi coniunctis eos, qui has epistolas scripserunt, valde delectatos esse, quod hi loci demonstrant: 10, 8, 7 eos ut commendatos vobis habeatis, petendum videtur 10, 21, 7 meam dignitatem commendatam habeas, rogo 12, 12, 2 ut dignitatem meam commendatam tibi habeas, ad Att. 9, 7 B. 2 exploratum habeo, ad Att. 8, 12 A. 1 distributas haberet 10, 34, 4 perspecta habes (de quo loco corrupto infra dicendum erit).

Aggressuro mihi ad alteram grammaticae partem, syntaxin explicandam dicendum esset de adverbio cum esse coniuncto, nisi Stinnerus p. 27—30 accurate hanc rem explanasset. Qui idem de 9, 9, 1 haec adnotat: Quae affert Krueger gr. lat. § 505: ‚Rectissime sunt apud te omnia' non ex Ciceronis, sed ex Dolabellae epistola repetita sunt. In transcursu moneo apud eundem Dolabellam omisso ‚se' exstare: Terentia minus belle habuit.

Jam vero loci propter singularem casuum usum conspicui hi fere sunt: 4, 5, 2 (Servius Sulpicius): aut qui non in illis rebus exercitatus animus callere iam debet atque omnia minoris existimare, quem locum Stinnerus in numerum eorum refert, quos grammatici Ciceroni attribuunt, cum eorum sint, qui ad eum litteras dederunt, his verbis usus p. 42: Similiterque in errorem facile aliquem inducat Rud. Kuehner, a quo (Schulgr. § 111, 2) haec afferuntur: ‚Qui — minoris existimare? C. Fam. 4, 5, 2, quae quidem verba sunt Servii, luculenti sane scriptoris, at ab Ciceronis consuetudine in eo sine dubio recedentis, quod is cum ceteris optimis latinitatis auctoribus verbum existimandi cum genetivo eo, quo pretii significationem contineri dicunt, non est solitus Plautino fere more coniungere." Plautinum locum suppeditat Holtze Synt. prisc. script. lat. Most. I, 1, 73: Satin' abiit neque quod dixi flocci existimat. Liceat hoc loco commemomare a Planco 10, 4, 2 adverbium carius cum verbo aestimandi coniunctum esse: Quaecunque in me bona sunt, — etsi a te propter amorem carius sunt aestimata. Jam vero in Lucceii epistola 5, 14, 1 genetivus graeco more per attractionem in enuntiato relativo positum est: cum aliquid agas eorum, quorum consuesti. Quocum nescio an comparari possit Livianum illud 1, 29 Raptim, quibus quisque poterat, elatis et Suetonii Cal. 48 contracto omnis generis commeatu, quanto nunquam alias. Age vero in epistola D. Bruti 11, 1, 3 est: Quid ergo est, inquis, tui consilii? Duas structuras in unam confusas esse ‚id consilii mihi est' et ‚id consilii mei est' censet Kraner ad Caes. b. G. 1, 21 quid consilii sui sit, qui idem b. Gall. 6, 7, 8; 7, 77, 12 affert et ad Caes. b. c. 3, 109, 3: quid esset suae voluntatis adnotat genetivum non a ‚quid', sed ab ‚esse' pendere,

Simplicius Halm. ad Cic. p. Rosc. Am. § 83: et id erit signi me invitum facere dicit genetivum, quamvis praedicatum sit, per attractionem quandam ab ‚id' pendere. Idem conferri iubet Terent. Eun. 4, 1, 15 (hoc signi est) Auct. ad Her. 4 § 8 nunc hoc signi est ipsos artis scriptores non putasse, ex eadem oratione § 91 hoc commodi est et § 147 nec quidquam iam habere reliqui vides. Quid? quod dignus cum genetivo coniunctum invenitur in epistola Balbi ad Att. 8, 15 A: Obsecro te, Cicero, suscipe curam et cogitationem dignissimam tuae virtutis, ad quem locum Orellius adnotat: Nemo hoc ausus est immutare.

Accusativi licenter usurpati exempla haec fere sunt: In epistola Caelii 8, 9, 1 est: civem bonum ludit, quo loco usus est Zumpt. § 383 auctore non commemorato, ut demonstraret verba intransitiva interdum transitivorum vice fungi. Idem Caelius Terentianum illud (Andr. 5, 5, 8 Nam hunc scio mea solide solum gavisurum gaudia) imitatus esse videtur 8, 2, 1 Puto, ut suum gaudium gauderemus. Eodem referendos esse arbitror duos eiusdem scriptoris locos, quibus accusativus adverbii instar positus est 8, 16, 1 te nihil nisi triste cogitare ostendisti et ibid. nihil nisi atrox et saevum cogitat atque etiam loquitur, de quo genere loquendi diligenter exposuit Stinnerus p. 58. Accusativus spatii, qui dicitur, invenitur in epistola C. Asinii Pollionis 10, 31, 6 Nullum enim vestigium abs te discessurus sum. Accusativus sequitur ‚postridie' in Caelii epistola 8, 2, 1 postridie eius absolutionem (similiter etiam Cicero ‚postridie ludos' dixit). Verbum antecedendi praeter accusativum ablativum mensurae adiunctum habet 11, 13, 2 (D. Brutus): Biduo me Antonius antecessit. Verbum desperandi cum accusativo nominis coniunctum invenitur 12, 14, 2: Rhodii nos et rem publicam quam valde desperaverint. Idem tamen Lentulus secundum optimorum scriptorum morem scripsit 12, 15, 3: si desperasset de Syria Aegyptoque. Praeteriens commemoro Vatinium V, 10, 1 e more priscorum scriptorum dixisse: Apage te cum nostro Sexto Servilio. Cum duplici accusativo non solum puto (10, 4, 4) et posco (10, 32, 5), sed etiam veneror coniunctum est a Caecina 6, 7, 2: qui multa deos venerati sunt contra eius salutem. Quid? quod Caelius 8, 1, 4 dixit: qui se intenderant adversarios in eius tribunatum. Verba vero transducendi et traiciendi ei, qui has epistolas scripserunt, non solum similiter atque alii eiusdem aetatis auctores usurparunt, ut Plancus 10, 21, 2: Cum Isaram flumen — exercitum transduxissem et Asinius Pollio 10, 32, 1: Balbus — traiecit se in regnum Bogudis, sed inusitate Dec. Brutus locutus est 11, 9, 2: si se Alpes Antonius traiecerit et 11, 13, 4 si quo etiam casu Isaram se traiecerint. Grammaticorum autem praeceptis adversatur id, quod in Lentuli epistola 12, 15, 3 est: ut denique omnia, quae improbi fingebant, magis vera existimarent, quam quae vere facta erant et a nobis docebantur. Postremo liceat mihi hoc loco exemplum figurae, cui nomen anticipatio sive prolepsis est, ex Caelii epistola 8, 10, 1 afferre: Nosti Marcellum, quam tardus et parum efficax sit, quod Krueger § 669, 1 Ciceroni attribuit.

Dativum paullo magis recondite atque inusitate usurpavit imprimis Caelius, in cuius epistolis haec exstant: 8, 5, 3 quam hoc Caesari sperent, non te fallit, ad quem locum Orelli adnotat: sperare alicui recte dicitur, ut metuere, timere alicui, cfr. ad Att. 1, 3 a quo nihil speres boni reipublicae; 8, 1, 4 tui politici libri omnibus vigent et ib. quod illorum capiti sit. Idem priscos poëtas (cfr. Holtze I, 312) imitatus verbum dolendi 8, 14, 1 cum dativo coniunxit: Nunquam tibi oculi doluissent. Contra aequalium morem, ut videtur, L. Cassius 12, 13, 2 tibi vacet impersonaliter posuit, quod apud Vergilium me legere memini. Licentius etiam locutus est Caecina 6, 7, 2 si scit et persuasus est, in quo Auct. ad Herenn. praeivisse Neue II, 261 docet, qui idem nonnulla exempla eiusdem usus ex Ovidio, Phaedro, Petronio petita affert. Praeteriens memoro elabi a Planco 10, 23, 5 et palpari a C. Asinio Pollione 10, 33, 2, ut ab Horatio Serm. 2, 1, 18, cum dativo coniuncta esse.

Ablativi paulo licentius usurpati exemplum ex Planci epistola 10, 23, 2 petitum: quem triduo cum has dabam litteras, exspectabam (3 Tage später als ich schreibe) Zumpt. Gr. lat. § 478 a Cicerone profectum dicit. Qui idem in eadem paragrapho alterum ablativi eleganter positi exemplum, quod est in epistola Planci 10, 18, 4: Ipse, ut spero, diebus octo, quibus has litteras dabam, cum Lepidi copiis me coniungam, Ciceroni attribuit. In transcursu moneo duobus eius usus exemplis ibidem allatis Caes. b. G. 1, 48 (accidit repentinum incommodum biduo, quo haec gesta sunt) et Ciceronis p. Rosc. Am. § 105 (quatriduo, quo is occisus est) addendum esse ex eadem oratione petitum locum § 20 quatriduo, quo haec gesta sunt. Tempore = in tem-

pore exstat in epistola D. Bruti 11, 1, 4: Satis tempore ad eos accedemus. De prisca forma temperi vel tempori disputaverunt Holtz. 1, 103 et Neue II, 672, qui duos e Cicerone ipso petitos locos Cael. 27, 65 et ad Fam. 7, 18, 1 affert. Ab illius aetatis consuetudine discrepat, quod in epistola Bruti et Cassii 11, 2, 2 est: nec quidquam (nos) aliud libertate communi quaesisse exitus declarat. Alterum eius usus exemplum suppeditat Krueger Gr. lat. § 372 A. 4 ex Horat. Ep. 1, 16, 20 petitum: Ne putes alium sapiente bonoque beatum. Nescio an praeter consuetudinem Asinius Pollio 10, 31, 6: opinione tua mihi gratius est pronomen possessivum addiderit, cuius tamen simile illud Plautinum est: Mil. 4, 6, 23 Istuc curavi, ut opinione illius pulcrior sis. Praeceptis autem grammaticorum (cfr. Zumpt. § 641) repugnat, quod in epistola Planci 10, 21, 4 exstat: hostibus denique omnibus iudicatis, cuius similia raro inveniuntur, ut Cic. ad Fam. 7, 30, 1: quo mortuo nuntiato. Non huc referendos esse locos, etiam ipsos tamen propter cumulata participia vituperandos, velut Hirt. b. G. 8, 20 paucis atque his vulneratis receptis, id. c. 28. Auct. b. Afr. 29, Liv. 1, 14, 4; 3, 33, 9; 8, 12, 9; 22, 29, 1 non est, quod moneam. Postremo verbum indigendi non praetereundum esse arbitror, quod Servius Sulpicius 4, 5, 1, Plancus 10, 17, 2, C. Cassius 12, 11, 2 cum ablativo coniunxerunt.

His, quos modo tractavimus, locis adiungere libet eos, quibus praepositiones alia vi ac significatione praeditae sunt atque apud omnes aut saltem plurimos illius aetatis scriptores. Ac primum Caelius 8, 14, 4 dixit: Ad summam quaeris, quid putem futurum, pro quo exspectamus in summa. Cfr. Hand. Turs. III, 264. Nec minus inusitate mihi dixisse videtur Plancus 10, 8, 6: provinciam summa contentione ad officia certantem (Cicero ad fam. 7, 31 ablativo utitur: reliquum est, ut officiis certemus inter nos). Apud eundem 10, 17, 2 est: ad omnia pericula princeps esse non recusabat (apud Ciceronem princeps in agendo exstat). Quod idem in extrema epistola 10, posuit: Tantum te rogo, in Hirtii locum me subdas et ad tuum amorem et ad meam observantiam prope accedit ad similitudinem eorum, quae apud Ciceronem inveniuntur Cat. 1, 5: Faciam id, quod est ad severitatem lenius, ad communem salutem utilius et Caesarem b. G. 2, 26: milites nihil ad celeritatem sibi reliqui fecerunt. Cfr. Hand. Turs. I, 106.

Apud. Cum Sallustii usu loquendi concordat, quod apud Servium Sulpicium 4, 5, 5 invenitur: apud animum propono.

Ante gradum significat in epistola Balbi ad Att. 8, 15, A. 2 quem ante me diligo.

Secundum locum indicat in epistola Sulpicii 4, 12, 2: (Marcellum) alterum (volnus accepisse) secundum aurem, quod Krueger § 328 Ciceroni attribuit; ad Att. 8, 12, C. 1 si secundum mare ad me ire coepisset. Similiter Cicero ipse locutus est ad Att. 16, 8, 2 quae iter secundum mare superum faciunt.

Per. In epistola Metelli 5, 1 haec exstant: (Existimaram) nec Metellum fratrem ob dictum capite ac fortunis per te oppugnatum iri, cuius loco in ea epistola, qua Cicero illi respondet (5, 2, 6), a te est: Quod scribis non oportuisse Metellum fratrem tuum ob dictum a me oppugnari. Hoc ante me animadversum est ab Handio Turs. I, 31 et IV, 437.

A, ab, abs. Caelius 8, 10, 1 scribit: Nam de vita, si paratior ab exercitu esses, timuissem, et 8, 14, 2: Saturninum sane quam superiore a vita invidiosum, Brutus 11, 13, 5: paratissimi ab exercitu, Plancus 10, 8, 5: ab omni re sumus paratiores, et 10, 15, 2 Antonius ab equitatu firmus. Quos locos non commemorassem, nisi Krueger, § 376 eum, quem postremo posui, a Cicerone profectum esse dixisset, contra vere Ciceronianos omisisset, ut Brut. § 60: sed ille Graecus (Lysias) ab omni laude felicior et § 161: nisi qui a philosophia, a iure civili, ab historia fuisset instructior et 198 ab exemplis copiose. Cfr. Hand. Turs. I, 58. Idem p. 29 de singulari vi disputat, qua praepositio *a* praedita est in ep. Bruti 11, 10, 2: tu enim a certo sensu et vero iudicas de nobis, i. e. secundum et pag. 33 affert locum e Balbi epistola (ad Att. 9, 7, 3) petitum, quo *a* causam designat: haec quam prudenter tibi scribam, nescio: sed illud certe scio me ab singulari amore ac benevolentia, quaecumque scribo, tibi scribere. Non solum poëtae vetustiores, sed etiam Auct. ad Herenn. et Sallustius praeiverunt id, quod apud Caelium 8, 9, 3 exstat: seorsus a collega. Contra primus idem videtur ausus esse dicere 8, 2, 1: quod intactus a sibilo pervenerat Hortensius ad senectutem, cuius loquendi generis similia suppeditant lexica haec: Iustin. 2, 3: Scythae perpetuo ab alieno imperio aut intacti aut

invicti et Vellej. 2, 3, 2: intacta perniciosis consiliis plebs (quo loco facile propter ultimam litteram verbi intacta a excidere potuit).

Praepositio ex causam significat 16, 21, 3: Quoniam igitur tum ex me doluisti, quod Hand. Turs. II, 636 Ciceroni attribuit, cum sit filii eius. Eadem ratione hac praepositione utitur Plancus 10, 21, 7: ex labore in febriculam incidit. Idem ab usu Ciceronis, qui metiri aliquid aliqua re dixit, discessit, cum 10, 4, 2 dixit: quam ego ex mea conscientia metior.

Praepositione de non solum ei, qui has litteras scripserunt, sed Cicero quoque ita utuntur, ut per eam ab una re ad alteram transeant aut vim alicui voci addant. Cfr. Hand. Turs. II, 212. Quam in rem conferantur hi loci: 8, 4, 4 (Caelius) tibi curae fuisse de Sittiano negotio gaudeo, 10, 24, 2 (Plancus) De militum commodis fuit tibi curae, 12, 14, 3 (Lentulus) De nostra dignitate velim, ut semper tibi curae sit; ad Att. 9, 15 A (Matius et Trebatius) quoniam de adventu Caesaris pro certo habebamus; 11, 9, 1 (D. Brutus) Nam de Pollione Asinio puto te perspicere, quid facturus sit. Quid? quod accusativo cum infinitivo coniuncto praemittitur, velut 11, 2, 3 (Brutus et Cassius): cum de nobis certum sit nos quieturos, de quo loquendi usu conferendus est Stinnerus, qui haec p. 69 profert: ‚Nihilo tamen secius in epistolis cuidam minus comptae orationi deberi videtur eadem illa licentia multo magis frequentata. Nec in transitionibus modo, quae in epistolis praepositionis de usu saepissime adiuvantur, Cicero orationem ita conformavit, sed ubicunque vim alicui voci addi volebat, minime est eandem illam licentiam aspernatus.' Alii loci, quibus praepositio de inusitate usurpata est, hi fere sunt: 8, 6, 1 (Caelius) cum quo — liberius tibi de tota re esset, 8, 7, 1 (idem) de belli Parthici periculo cruciabor; 11, 2, 3 (Brutus et Cassius): maximo timore de nobis afficiuntur amici nostri. 11, 9, 2 (D. Brutus): si forte vobis id de hoc dubium est, qui locus propter additum ‚id' conspicuus est, quod recte Cicero omisit ad Att. 11, 6: De Pompeii exitu mihi dubium nunquam fuit.

Praepositio ‚in' cum acc. consilium indicat in Planci epistola 10, 23, 3: manus, quas iustius in Lepidi perniciem armasset. Qui eius praepositionis usus etsi apud posteriores scriptores multo latius patet, qui ‚in honorem alicuius' pro ‚honoris causa' et similia dixerunt, tamen aureae aetatis auctores eo non prorsus abstinuisse grammatici docent. Contra a suae aetatis consuetudine longe recessisse putandus est idem Plancus, cum 10, 24, 1 scripsit: Facere non possum, quin in singulas res meritaque tua tibi gratias agam, ubi loco ‚in' ‚pro' exspectamus.

In c. abl. — Naves in aqua habere ap. Lentulum (12, 15, 2) solum invenitur. Enuntiationis vice secundum Hand III, 259 fungitur ‚in damno meae laudis', quod est in epistola eiusdem Planci 10, 8, 7: in d. m. l. reipublicae commodo laetabor i. e. etiamsi laude priver. Jam vero in victoria tribus locis invenitur, in Caelii epistola 8, 15, 1: Ecquem autem Caesare nostro acriorem in rebus gerendis, eodem in victoria temperatiorem aut legisti aut audisti? 11, 28, 2 (Matius): Itaque in victoria hominis necessarii neque honoris neque pecuniae dulcedine sum captus, denique in Asinii Pollionis epistola 10, 34, 4. Simillimum est, quod apud Caelium 8, 14, 1 invenitur: Nunquam tibi oculi doluissent, si in repulsa Domitii voltum vidisses. Voces victoriae et repulsae in numero earum habendam esse puto, de quibus Hand. Turs. III, 284 haec profert: Nomina, quae non ipsum tempus significant, sed rem in tempore agendam vel actam, et conditionem et statum rei, in praepositionem assumunt, quando non simpliciter tempus, quo quid factum sit, sed totum temporis spatium vel cursus eius atque diuturnitas nominatur. Ab optimorum autem scriptorum usu discessit Lentulus, cum scripsit 12, 14, 3: Itaque eadem superbia (Rhodii) in pravitate utuntur, quod sic interpreteris: in pravitate sua vel qua pravitate sunt. Apud eundem, quem Orellius haud optimum scribendi artificem nominat, 12, 15, 3 est: Rhodios autem tanta in pravitate animadverti, ubi ‚esse' (graece ὄντας) desideratur. Hac occasione oblata ceteras locutiones enumerare libet, quae in his epistolis per nomina cum ‚esse in —' coniuncta formatae exstant. Atque Caelii 8, 14, 2 haec sunt: quod iudicium in exspectatione est, etiam in bona spe (Similiter Cicero 2, 3, 5: summa scito in exspectatione te esse et Caesar b. c. 2, 17 magna auxilia convenisse, magna esse in spe). Aliter Plancus 10, 4, 4 dixit: Sum in exspectatione omnium rerum. Quod autem apud Asinium Pollionem 10, 31 est: Nam saltus Castulonensis — nequaquam tanta in mora est, quanta, in eo iam Terentius praeivit. Postremo 8, 2, 1 Baiterus ex coniectura in inseruit: itaque — in maiore esse periculo videtur, quod item fecit in Ciceronis ep. 4, 5. Restat, ut commemorem Caelium 8, 13, 1 haec proferre: Neque

enim est pugnax in vitiis neque hebes ad id, quod melius sit, intellegendum, ubi ‚in' nostro ‚in Hinsicht auf' respondet.

Sub. Apud Plancum 10, 23, 2 ‚sub manu esse' idem significat, quod apud alios ‚ad manus esse (ad manus habere).' Reliquum est, ut commemorem tenus cum genetivo constructum inveniri in epistola Caelii 8, 1, 2: Cumarum tenus, causa pro propter positum esse in epistola Lepidi 10, 34, 2: nostrae humanitatis et necessitudinis causa, ut ap. Caes. b. civ. 1, 33 timoris causa, b. Gall. 1, 39 amicitiae c., Cic. pr. Rosc. Am. § 145 inimicitiarum c., metus c., circum-circa adverbii instar usurpatum esse a Servio Sulpicio 4, 5, 4, in eiusdem epistola 4, 12, 1 in Italiam versus et in Caelii ep. 8, 15, 2 ad Alpes versus (cfr. Neue II, 702) exstare.

Pergamus iam ad eos locos, quibus coniunctiones ut, ne, quominus, quin verbis adduntur, quae ab aequalibus scriptoribus non eadem ratione usurpantur. Ac primum ut verbum praestandi sequitur in ep. Planci 10, 23, 6: quod adhuc fecisti, idem praesta, ut vigilanter nervoseque nos, qui stamus in acie, subornes. Jam hoc loco liceat mihi commemorare idem verbum etiam cum ne, ut apud Livium et Ovidium, coniunctum inveniri in ep. D. Bruti, 11, 9, 1: Utrumque me praestaturum spero, ne — et in ep. L. Cassii 12, 13, 4: ne supportare possit, facile praestabunt.

Deinde verbum sustinendi in ep. Balbi ad Att. 9, 7, B. 1 huc pertinet: non posse tuam famam et officium sustinere, ut contra eum arma feras, a quo tantum beneficium te accepisse praedices. Denique verbo urgendi eodem modo usus est Asinius Pollio 10, 32, 4: ursit me — litteris, ut — mitterem. Ut saepius omittitur velut in ep. Planci 10, 21, 6: Exercitum locis habeam oportunis — dabo operam atque in eadem epistola post ‚rogo' et post ‚denuntio et hortor', 11, 3, 4 (Brutus et Cassius) post ‚Deos quaesumus'. Aliis locis ei, qui has epistolas ediderunt, in codice Med. omissum ‚ut' ex coniectura inseruerunt, velut 11, 28, 3, ubi haec exstant: At haec etiam servis semper libera fuerunt, timerent, gauderent. Coniunctivus, non addito ‚ut', cum ‚liberum est' similiter ac cum ‚licet' coniunctus esse videtur, nisi forte praestat infinitivum ponere, qui apud Ciceronem et utrumque Plinium ‚mihi liberum est' sequitur.

Jam vero ne coniunctum est cum locutione curam sustineo a Planco solo 10, 4, 4: Interim maximam hic sollicitudinem curamque sustineo, ne inter aliena vitia hae gentes nostra mala suam putent occasionem. Id autem, quod in ep. Caelii 8, 1, 1 est: in hoc te deprecor, ne meum hoc officium arrogantiae condemnes, cum Livii sermone consentit. Apud eundem 8, 7, 1 haec exstant: Cruciabor, ne hunc risum meum metus aliqui perturbet. Cui simillimum est, quod in Balbi ep. ad Att. 9, 13, A. 2 invenitur: Quomodo me nunc putas, mi Cicero, torqueri, postquam rursus in spem pacis veni, ne qua res eorum compositionem impediat.

De ut — neque, quod in Planci ep. 10, 8, 3 est (multae impensae opus fuerunt, ut, quae reipublicae bonisque omnibus polliceremur, exitu praestaremus neque ad auxilium patriae nudi — accederemus) cfr. ea, quae Draeger II, 667 de hoc loquendi genere disputavit.

Quominus cum verbis denegandi, interpellandi, excludendi in his epistolis solis coniunctum invenitur. Ac denegare, quominus est ap. Caelium 8, 5, 1: tanquam nihil denegatum sit ei, quominus quam paratissimus esset — interpellare in ep. D. Bruti 11, 10, 1: Interpellent me, quominus honoratus sim (apud Livium ne sequitur) — excludere in ep. L. Cassii 12, 13, 2: sed tamen non maxima me turba puto excludi, quominus tibi vacet me excipere.

Age vero quin contra omnium aequalium scriptorum consuetudinem usurpavit Caelius 8, 14, 3: Illud te non arbitror fugere, quin homines in dissensione domestica debeant — honestiorem sequi partem, M. Brutus et Cassius in ep. ad Antonium data: sed tamen — te miramur — non potuisse continere iracundiam tuam, quin nobis de morte Caesaris obiceres, Caesar (ad Att. 9, 6, A.) praeterire tamen non potui, quin et scriberem ad te et —. Similiter iam Plautum ‚quin' cum locutionibus ‚contineri non queo, vix me contineo, praeterire non ausim' coniunxisse exempla ab Holtzio II, 177 allata demonstrant.

In transitu commemorare libet, quamvis non cum communi illius aetatis consuetudine discrepet, quod in ep. Caelii 8, 1, 1 est: non quin mihi suavissimum sit et occupato et ad litteras scribendas, ut tu nosti, pigerrimo tuae memoriae operam dare, sed ipsum volumen, quod tibi misi, ut ego arbitror, me excusat — et quod in ep. Servii Salpicii 4, 5, 1 exstat: non quo ea te fugere existimem, sed quod forsitan dolore impeditus ea perspicias, quo loco quominus

‚perspicias' offendamur, addito ‚forsitan' impedimur, unde apparet illum coniunctivum potentialem esse, cfr. Draeger II, 655. utpote cum solus dixisse videtur Asinius Pollio 10, 32, 4: nec retinuissem (legionem), si uno loco habuissem, utpote cum singulae quaedam cohortes seditionem fecerint.

Jam vero quia vice coniunctionis ‚quod' fungitur verbis mirandi et dolendi adiunctum in Lucceii ep. 5, 14, 1: Romae quia postea non fuisti, quam decesserat, miratus sum et 2: doleo, quia doles et angere. Draegerus, qui hos locos Ciceroni attribuit, aliquot eiusdem usus exempla ex huius epistolis petitos attulit. Ibidem de propterea quia disputat, quod in ep. Sulpicii 4, 5, 1, C. Asinii Pollionis 10, 33, 5 invenitur, quos tamen locos item Ciceronis esse ait.

Dum (bis) cum indicativo coniunctum quattuor locis invenitur, in ep. Lentuli 12, 14, 4: rogo te petas ab eis — ut mihi dent negotium, ut Asiam obtineam, dum ipsorum alteruter venit, quod tamen Wesenberg iure, ut ego arbitror, in ‚veniat' mutandum censet. Recte contra se habet, quod paullo infra est: Dolabella enim in Syria est et ut tu divina tua mente prospexisti et praedicavisti, dum isti veniunt, Cassius eum opprimet. Neque aliter iudicandum est de duobus locis epistolae Caelii 8, 16, cuius alterum exemplum in volumine epistolarum, quae ad Atticum datae sunt (10, 9) exstat, quibus nulla lectionis varietate haec sunt: § 3 Quod si totum tibi persuadere non possum, saltem, dum, quid de Hispaniis agamus, scitur, exspecta et § 5 eligas censeo aliquod oppidum vacuum a bello, dum haec decernuntur, quae iam erunt confecta. Similiter non solum vetustiores poetae, de quibus Holtze II, 128 exposuit, sed etiam alii locuti sunt, ut Vergilius Ecl. 9, 23: Tityre, dum redeo — brevis est via — pasce capellas. Quibus omnibus locis futurum vel coniunctivum exspectaveris.

Haec res me admonet, ut aliquot enuntiationes propter consecutionem temporum conspicuas adiciam. Quarum plurimae tametsi consecutivae sunt, quae consecutionis sive convenientiae temporum legibus non obstrictae tenentur, cum aut ea, quae ex actione quadam prodierunt, usque ad praesens tempus porriguntur aut cum scriptor rem non simpliciter narrat, sed de actione eisque, quae eam consecuta sunt, quid ipse iudicet, demonstrat, (cfr. Haase ad Reis. gr. l. not. 480), dignae tamen mihi esse videntur, quae hic commemorentur. Sunt igitur fere hae: 10, 34, 1 (Lepidus) Equitatum habet magnum: nam omnis ex proelio integer discessit, ita ut sint amplius equitum millia quinque; 6, 7, 1 (Caecina) Filius pertimuit — ne ea res mihi noceret, cum praesertim adhuc stili poenas dem; 8, 1, 1 (Caelius) data opera paravi, qui sic omnia persequeretur, ut verear, ne tibi nimium arguta haec sedulitas videatur; 4, 5, 3 (Sulpicius) quid horum fuit, quod non, priusquam datum est, ademptum sit; 8, 12, 3 (Caelius) Nam sic est a populo et non infimo quoque approbatum, ut maiorem Appio dolorem fama quam postulatio attulerit; 8, 15, 1 (idem) Ecquando tu hominem ineptiorem, quam tuum Cn. Pompeium vidisti, qui tantas turbas, qui (Ernesti coni. cum) tam nugax esset, commorit; 10, 18, 1 (Plancus) Quid in animo habuerim, cum Laevus Nervaque discesserunt a me, et ex litteris, quas ei dedi, et ex ipsis cognoscere potuisti; 10, 30, 3 (Galba) etsi dexterius cornu — impetu primo fugaverat legionem XXXV. Antonii, ut — ultra aciem processerit; 10, 31, 3 (Asinius Pollio) Quae mea sententia gerere mihi licuit, ita feci, ut optimus quisque maxime probarit; 12, 14, 1 (Lentulus) Cuius rei tanto in timore fui, ut — ad illas ire conatus sim. Longius a regulis, quae de consecutione temporum exstant, Caelius declinasse videtur 8, 10, 1: Hoc quomodo acciperent homines, quam probabilis necessitas futura esset, vereor etiamnunc, sed suspicor, cum illa scriberet, eius animo hoc obversatum esse: veritus sum et vereor etiam nunc. Deinde eisdem regulis adversatur, quod in ep. Matii 11, 28, 8 est: Sed non vereor, ne aut meae vitae modestia parum valitura sit in posterum contra falsos rumores, ubi ‚valitura sit' positum est pro legitimo ‚valeat', cuius soloecismi alterum exemplum, quod sciam, nusquam exstat. Nam quod in gramm. Schulzii 349 affertur, ‚non timeo, ne nunc veniat, sed ne venturus sit postea' auctor ipse finxisse videtur. Praeter eos, quos attuli, locos aliquot exstant, qui partim ab aliis emendati sunt, partim emendatione indigere videntur. Atque in Planci verbis (ep. 10, 18, 3): Nam quae res nullam habebat dubitationem, si exercitus Lepidi absit Wesenberg ‚abesset' coniecit. Idem ep. 10, 21, 4 (Plancus), ubi in cod. Med. haec sunt: Accessit eo, ut milites eius, cum Lepidus concionaretur, — conclamarunt, conclamarent edidit (vulgo conclamarint). Jam vero in Lentuli ep. 12, 14, 4: Quoniam consulibus decreta Asia et permissum est iis, ut, dum ipsi venirent, darent negotium, qui Asiam

obtineant, Kayserus recte, ut opinor, 'obtinerent' coniecit. Ego tres locos leniter mutanda lectione codicis Medicei emendandos esse arbitror: 12, 15, 6 (Lentulus) Interea quo commodius vectigalia tueri — possim (lege ‚possem'), praesidium voluntarium necessariumque comparavi; ad Attic. 8, 12, B. 1 (Pompeius) miror, quid causae fuerit, quare consilium mutaris (leg. mutares): ibid. 8, 12, D. 2 Neque enim celeriter ex delectibus huc homines convenire possunt, et si convenirent, quantum iis committendum sit — non te praeterit, ubi sententia flagitare videtur, ut ‚conveniant' vel ‚convenient' scribatur.

Ex conditionalibus enuntiationibus duae mihi dignae esse videntur, quae commemorentur: 8, 4 extr. (Caelius) Si sine suo summo periculo fieri posset, magnum et iucundum tibi Fortuna spectaculum parabat (cfr. Zumpt. § 519) et 10, 24, 4 (Plancus), ubi pro ‚sive — sive', nisi fallor, ‚si vel — vel si' exspectatur. Postremo commemoro eis locis, quibus nisi si exstat, a Draegero II, 722 collectis 5, 9, 2 (Vatinius) et 8, 15, 1 (Caelius) adiciendos esse.

Restat, ut de aliquot particulis et adverbiis pauca addamus. Atque et cum alius coniunctum invenitur 8, 1, 3 (Caelius) solet enim aliud sentire et loqui, cfr. Draeger II, 27. Jam vero in ep. Sulpicii 4, 5, 1 ‚pro eo ac debuit' exstat, de qua non ita frequenti formula cfr. ea, quae idem II, 55 disputavit. Praeter consuetudinem omnium ceterorum scriptorum L. Cassius 12, 13, 1 ac cum dignus coniunxit: digne ac mereor, quod pro glossemate habitum esse Orellius memorat. Loco particulae ac Plancus 10, 4, 4 ex more Plauti et Varronis ut cum proinde coniunxit: Quod si proinde, ut ipse mereor, mihi successerit. Quid? quod Dolabella que ad nobiscum adnexuit 9, 9, 1: tibi suadere, ut te aut cum Caesare nobiscumque coniungeres aut certe in otium referres. Neque etiam pro ac ne-quidem usurpatum est in ep. Dolabellae 9, 9, 2: Animadvertis Cn. Pompeium nec nominis sui nec rerum gestarum gloria neque etiam regum ac nationum clientelis, quas ostentare crebro solebat, esse tutum, contra in epist. Pompeii ad Att. 8, 12, D. 1: neque etiam, qui ex delectibus conscripti sunt a consulibus, convenerunt idem valere ac nequedum etiam, ut Caes. b. civ. 1, 58, H. Anton Progr. Halberstadt. 1869, p. 22 sq. demonstravit. Qui idem accurate exposuit de etiam-non pro ne-quidem posito, quod est in eadem ep. Dolabellae § 2: et hoc etiam, quod infimo cuique contigit, illi non posse contingere, ut honeste effugere possit. — De nedum — sed etiam, quod in ep. Balbi et Oppii ad Att. 9, 7 A. 1 est (Nedum hominum humilium, ut nos sumus, sed etiam amplissimorum virorum consilia ex eventu, non ex voluntate a plerisque probari solent, tamen freti tua humanitate — tibi consilium dabimus), recte, ut opinor, Handius iudicat: „Quod dicebant grammatici nedum interdum poni pro non solum, sequente sed etiam, id ab ipsa particulae natura abhorrere videtur. Huc accedit, quod in codice Med. loco ‚nedum' ‚meum' et altero loco (ad Att. 10, 16 extr.), qui illius formulae tutandae causa affertur, ‚novum', non ‚nedum' exstat. Nescio an verba ‚Nedum hom. humilium, ut nos sumus' glossematis loco margini apposita addito ‚sed' in principio sententiae, quae sine eis bene procedit, posita sint. Praeteriens commemoro ‚quoque' non suo loco positum esse in ep. Dolabellae 9, 9 extr.: Erit tuae quoque fidei et humanitatis curare, ut is tabellarius, quem tibi remisi, reverti possit. In quam rem conferri velim hos ex Livio petitos locos: 4, 56, 13: per se quoque, 6, 20, 7: ad haec decora quoque belli, 10, 14, 9. 22, 14, 15: ad aures quoque militum, 28, 39, 6: luctuosius nobis quoque quam vobis perierunt, 34, 10, 7: hic quoque tulit et q. s. — Age vero quam non ex communi omnium consuetudine usurpatum est in ep. Bruti et Cassii ad Antonium data 4, 3, 4: Tu etiam atque etiam vide, quid suscipias, quid sustinere possis, neque, quam diu vixerit Caesar, sed quam non diu regnarit, fac cogites. Contra illi regulae grammaticorum, secundum quam ad verbum ‚parum', cum in eo iam mensura insit, nec ‚tam' nec ‚quam' addi debet, non obtemperasse videtur Caelius 8, 10, 3: Nosti Marcellum, quam tardus et parum efficax sit, sed excusari potest et praemisso ‚tardus' et eo, quod ‚parum efficax' quasi in unam notionem, velut segnis, coalescit. Restat unus locus, quo quamvis nulla varietas lectionis sit, tamen mendum latere suspicor. In principio enim ep. Lepidi ad senatum populumque Romanum missae haec exstant: Deos hominesque testor, patres conscripti, qua mente et quo animo semper in rempublicam fuerim et quam nihil antiquius communi salute ac libertate iudicarim. Primum offendor sententia interrogativa indirecta, siquidem, quantum scio, verbum testandi semper acc. c. inf. sequitur (oratio recta est ap. Cic. pr. Sull. § 35), deinde quod quam nihil (cfr. locos ab Ellendt. ad Cic. Brut. § 217 allatos) semper germanico ‚wie wenig'

respondet, velut si dicas: quam nihil curo vel scis, quam nihil voluptatis ex hac re ceperim, quod tamen eo loco, de quo agimus, mihi quidem alienum esse videtur. Quae cum ita sint, sic scribendum conicio: D. h. que testor, qua mente et quo animo semper in r. p. fuerim, me nihil antiquius communi salute ac libertate iudicare. Librarius, cum non intellegeret sententiam ‚qua mente — fuerim' relativam esse, reliqua mutare coactus est.

Jam vero in infinitivi usu ei, qui has epistolas scripserunt, quam proxime ad familiarem et cotidianum sermonem accessisse existimandi sunt.* Quae etiam causa fuit, cur Stinnerus, cum ex Ciceronis epistolis ea, quae in ceteris eius scriptis aut raro aut omnino non invenirentur, depromere sibi proposuisset, in hanc rem accuratissime inquireret. Qui cum in notis saepius earum epistolarum, in quibus versamur, mentionem fecerit, tamen ratio institutae disputationis postulare videtur, ut ipse omnes eos locos, qui huc pertineant, uno in conspectu collocem.

Atque subiecti vice infinitivus fungitur his locis: 8, 6, 1 (Caelius) tutum tibi erit, si quid volueris gratificari (Quinctilianum similiter locutum esse lexicographi docent). Quid? quod accusativus c. inf. ab eodem scriptore coniungitur cum turpe tibi est 8, 6, 5: turpe tibi erit pantheras me non habere, cfr. 8, 9, 3. Non offendimur eo, quod 8, 3, 1 est: mihi iucundissimum negotium erat tecum id otii tempus consumere. Contra magis ab usitata loquendi consuetudine remotum est, quod apud eundem invenitur 8, 10, 2: Latet sub hac temperantiae existimatione nolle provinciam. Quid? quod idem pro ‚loqui coeperunt' 8, 8, 2 dixit: loqui coeptum est, tanquam loqui infinitivus passivi esset. Huc etiam pertinet, quod in ep. M. Bruti et Cassii est 11, 3, 3: Illud vero quemadmodum ferendum sit — non licere — decedere (quamquam Cicero ipse infin. cum ferendum est coniunxit). Postremo acc. c. inf. verbo pertinendi additur a Planco 10, 15, 1: His litteris scriptis, quae postea accidissent, scire te ad rempublicam putavi pertinere. De hoc genere loquendi Stinnerus p. 66 dicit: Proprium paene illud genus esse epistolarum haud sane pauca similiter dicta approbant ad fam. 1, 9, 25; 13, 28, a. 2; ad Att. 1, 17, 4; 1, 19, 5; 8, 14, 3; 9, 3, 1; 9, 11, A. 3; 14, 16, 4. Ex reliquis Ciceronis libris illud potest afferri Or. pro M. Marc. 9, 30. Non plane eiusdem generis sunt, quae leguntur de off. 2, 19, 65.

Obiecti loco positus est infinitivus a Caelio 8, 9, 1: ne putes illum tantum praedia rustica dare scire. Nec praetereundos censeo eos locos, quibus verba maturandi et festinandi cum infinitivo coniuncta inveniuntur 10, 21, 2 (Plancus) ut maturarem venire et 10, 33, 3 (Asinius Pollio): festinavit confligere, quamquam ita etiam optimos scriptores locutos esse constat. Contra a ceterorum consuetudine prorsus discessit Lentulus, cum 12, 14, 7 scripsit: Nunquam defetigabor permanere. Jam vero mihi transeunti ad eos locos, quibus acc. c. inf. cum verbis declarandi et sentiendi coniunctus exstat, ea praemittere libet, quae Stinnerus p. 63 profert: Nec in eo verborum genere, quod ad nuntios perlatos pertinet significandos, non agnoscas illam praecipue brevitatem, de qua saepius dictum est, siquidem simpliciter deferri, perferri, referri ea solent dici, quorum alias nuntii fere perhibentur huc illuc delati esse. Locis Ciceronianis a Stinnero

---

* Eandem sententiam Reisigius profert Gr. lat. § 321, ubi de non dubito, cum accusativo cum infinitivo coniuncto exponit: Zwar ist davon schon zur Zeit der blühenden Latinität mancher Schriftsteller abgewichen, doch aus dem Gebrauch des Cicero lässt sich schliessen, dass man nur im gemeinen Leben bei nachlässiger Art zu reden abwich, wie Nepos in der Vorrede non dubito fore plerosque, wofür Cicero non dubito quin futuri sint plerique würde gesagt haben. Quibuscum consentiunt ea, quae a Gemssio (Zeitschr. f Gymnw. 1878, October) disputata sunt: Demnach ist als vollständig gesichert für die Verbindung von non dubito mit dem Acc. c. Inf. nur anzusehen die Stelle in einem Fragment des Oeconomicus: quis enim dubitet nihil esse pulchrius in omni ratione vitae dispositione atque ordine. In den Briefen wird diese Construction ad fam. 12, 16 von Trebonius, 16, 21 vom Sohne des Cicero gebraucht. Ueber das Vorkommen dieser Verbindung lässt sich daher Folgendes feststellen. Schon zu Ciceros Zeit war der Acc. c. inf. im Gebrauch, nachweisbar ist er in dem leichteren Briefstil des Treb. und Cicero des Sohnes, wahrscheinlich sogar auch von Cicero angewendet in den Briefen und in erregter Rede, unzweifelhaft in der Stelle aus dem Oeconomicus. Sonst meidet ihn Cicero, sowie Cäsar und Sallust, später aber findet er sich allgemein. Cornelius hat ihn ausschliesslich, er ist der erste Schriftsteller, der diese in der gewöhnlichen Sprache sicherlich weit verbreitete Construction in die Schriftsprache einführt. Cornel lehnt sich also nicht an den Sprachgebrauch einer früheren Zeit an, vielmehr liegt die Sache so, dass Cornel kein Bedenken trägt auch Wendungen und Formen anzuwenden, welche die vornehme Schriftsprache ablehnt. Vgl. face = fac (auch bei Cicero calface in dem der Diction des Nepos sich nähernden Brief ad fam. 16, 18, 3), ferner das aus der Vulgärsprache entlehnte impraesentiarum (Hann. 6, 2), das aus der Sprache der Gesetze stammende ergo (Paus. 1, 3) u. a.

allatis ex his epistolis adiciendi sunt tres loci: 8, 4, 1 (Caelius) Invideo tibi: tam multa quotidie, quae mirere, istuc perferuntur, primum illud absolutum Messalam, 8, 6, 1 Non dubito, quin perlatum ad te sit Appium a Dolabella reum factum, 8, 1, 4 (idem) Te a. d. VIIII. Kal. Junias subrostrani, quod illorum capiti sit, dissiparant perisse. Brevitate etiam magis conspicuum est, quod in ep. eiusdem scriptoris 8, 13, 2 exstat: transierant illuc rationem esse eius habendam, qui neque exercitum neque provincias traderet. — De certum scio, quod in ep. Dolabellae 9, 9, 1 est, et similibus locutionibus accurate exposuit Stinner. p. 58 et 59. Verba affirmandi et profitendi inveniuntur cum infinitivo praesentis coniuncta in epistola Planci neglegenter scripta 10, 24, 4 neque ille intermisit affirmare se sine mora venire et § 6 mihi professus est se venire. Idem valet in verbum sperandi, quod et ipsum Plancus cum inf. praes. coniunxit 10, 9, 1: In dies vero meritorum meorum accessiones pervidere te spero. Verbum testificandi contra consuetudinem ceterorum omnium, si lexicis fides habenda est, eodem modo ac verbum testandi usurpatum est a Caelio 8, 16, 1: Nam deos hominesque amicitiamque nostram testificor me tibi praedixisse neque temere monuisse. De non dubito supra iam dictum est; de locutione in dubium vocare item cum acc. c. inf. coniuncta infra dicendum erit. Etiam pudet te acc. c. inf. adiunctum habet 8, 9, 1 (Caelius), si scias — pudeat te ausum illum unquam esse incedere tamquam tuum competitorem. Restat, ut de verbo recipiendi pauca addam. Quod cum ea quidem vi praeditum, qua idem fere ac ‚promitto' significat, in ceteris scriptis raro, saepissime in epistolis obviam fiat, familiaris sermonis proprium fuisse verisimile est.* 6, 7, 4 (Caecina) si reciperes te correcturum; 10, 9, 1 (Plancus) cogniturum (te) magis recipio; 10, 17, 1 (idem) recipio vobis celeriter me negotium ex sententia confecturum, qui locus a ceteris ea re differt, quod dativus ‚vobis' additus est. Infinitivo non adiecto idem verbum in ep. D. Bruti 11, 1, 4 invenitur: Pro Cassio et te, si quid me velitis recipere, recipiam. — Verba, quae secundum grammaticorum praecepta sententia per ‚ut' aut ‚ne' enuntiata sequi solet, interdum in epistolis cum infinitivo coniunguntur. Atque postulandi verbum exstat in ep. Lucceii 5, 14, 2 sollicitudines, quas elevare tua te prudentia postulat et in ep. Matii 11, 28, 4: Id quidem me cupere, nisi et ante acta vita et reliqua mea spes me tacente probat, dicendo vincere non postulo, qui locus etiam cumulatis infinitivis conspicuus est. Quamquam nec Cicero prorsus eo dicendi genere abstinuit et Plautus eam maxime frequentavit (cfr. Holtze II, 37). Idem valet in verbum studendi, quod duobus locis cum acc. cum infinitivo coniunctum invenitur 10, 31, 5 (Asinius Pollio) omnes enim cives plane studeo esse salvos et 11, 28, 2 (Matius) quam (dissensionem civilem) etiam nascentem exstingui summe studui. Quid? quod verbum praestandi in ep. Balbi (ad Att. 9, 7, B. 2) acc. c. inf. obiecti loco additum habet: praestabo — eum — rationem habiturum.

Postremo aliquot verba, quae animi affectus exprimunt, praeter consuetudinem ceterorum scriptorum cum infinitivo coniuncta inveniuntur: 8, 3, 1 (Caelius) nunc quotidie non esse te, ad quem cursitem, discrucior; 8, 4, 1 (idem) hoc tibi non invideo caruisse te; 8, 14, 1 (idem) Nunc furit tam gavisos homines suum dolorem (cui simile est, quod Cic. ad Quint. fr. 2, 15, 3 scribit: Furebat a Racilio se contumaciter urbaneque vexatum. Jam vero in ep. Caesaris ad Att. 9, 16 item causa sive res, qua gaudet, infinitivo exprimitur: meum factum probari abs te triumpho gaudio. Quid? quod verbum timendi acc. c. inf. sibi adiunctum habet in ep. Caelii 8, 11, 3: Valde autem non volt et plane timet Caesarem consulem designari prius, quam exercitum et provincias tradiderit.

Restat, ut aliquot locutiones, quibus ipsis quoque infinitivus subiecti aut obiecti loco additus est, afferam. Atque primum mihi in animo est sic usurpatum invenimus ab Antonio ad Att. 14, 13, A. 2 et a Pompeio ad Att. 8, 12, C. 1, in animo habeo a Servio Sulpicio 4, 12, 2. Utrumque tamen non solum in oratione pr. Rosc. Am. § 52 et § 91, sed etiam aliis Ciceronis locis et maxime apud Livium invenitur. Contra solus ex aequalibus scriptoribus sic locutus est Caelius 8, 10, 3: in eam opinionem Cassius venerat finxisse bellum scil. eum. Quid?

* Quod id verbum in oratione pr Rosc. Am. 39, 114 exstat, non est, cur miremur, quia Ciceronem, cum orationes pro Quinctio et Roscio componeret, multa e cotidiano sermone mutuatum esse Woelfflinus in ea dissertatione, cuius supra mentionem feci, demonstravit.

quod nominativus cum infinitivo adiungitur locutioni in suspicionem venire in ep. Dolabellae 9, 9, 1: Etsi nullo tempore in suspicionem tibi debui venire partium causa potius quam tua tibi suadere et in ep. Lentuli 12, 15, 5: Nonnullis etiam ipsi magistratus veniebant in suspicionem detinuisse nos et demorati esse, dum —. Id autem, quod in ep. Caesaris ad Att. 9, 13, A 1 est: Cum in spem venero de compositione aliquid me conficere, cum eo, quod apud eundem scriptorem b. civ. I, 72 exstat: Caesar in eam spem venerat, se sine pugna et sine volnere suorum rem conficere posse, fere consentit, si illud excipias hoc loco secundum regulam grammaticorum ‚posse' infinitivo additum esse. Adde, quod in ep. Planci 10, 15, 2 est: fidem mihi dedit se persecuturum, cuius loquendi generis simillimum est, quod ad Att. 9, 7, A. 2 in ep. Balbi et Oppii exstat: Et tibi fidem faciemus nos ea suadere, quae —. Jam vero in ep. Pompeii ad Att. 8, 12, C. 2 mandata dare eodem modo usurpatum est atque verbum mandandi: mandata dedi providendum esse. Supra autem iam commemoravi etiam in dubium vocare acc. c. inf. adiunctum habere in ep. Asinii Pollionis 10, 31, 5: Illud me Cordubae pro concione dixisse nemo vocabit in dubium, cuius alterum exemplum in lexicis frustra quaesivimus. Restat, ut commemorem a praeceptis grammaticorum abhorrere, quod in ep. Vatinii 5, 9, 2 est: Dicitur mihi tuus servus anagnostes fugitivus cum Vardaeis esse.

Priusquam de infinitivo disserere desinam, locum, quo infinitivus reponendus esse videtur, commemorare libet. Atque Lepidi 10, 34, 4 verba in cod. Med. corrupta haec sunt: ‚Abs te, mi Cicero, magno opere peto, si meam vitam, studium diligentissime superioribus temporibus in re publica administranda, quae Lepido digna sunt, perspecta habes, ut paria aut eo ampliora reliquo tempore exspectes.' Qui has epistolas ediderunt, cum ‚diligentissime' in ‚diligentiam' mutando locum correxerint, tamen ne ita quidem eum satis emendarunt, quoniam verba ‚quae Lepido digna sunt', ut Orellius dicit, pendent, quapropter Baiterus ea auctore Kleynio uncis inclusit. Ego conicio Lepidum sic scripsisse: si meam vitam, studium, diligentiam et egisse me — quae Lepido digna sint, perspecta habes; sic enim verba ‚quae Lep. digna sint' habent, quo referantur.

Restat, ut paucos locos addam, quibus gerundium et supinum paullo inusitatius usurpatum reperiatur. Atque dure enuntiatum esse arbitror, quod in ep. L. Cassii 12, 12, 4 est: de cuius voluntate assidue audiendo mirifice te diligit carumque habet. Supinum autem ita positum est, ut obiectum adiunctum habeat, quod raro fieri constat, in Caelii 8, 14, 4 et quam primum haec risum veni. Contra non a communi loquendi consuetudine discessit Asinius Pollio 10, 32, 2, cum aliquem sessum deducere dixit.

Aggredienti mihi explicare de altera huius dissertationis parte, qua voces et locutiones alia vi et significatione atque a ceteris eiusdem aetatis scriptoribus usurpatae continentur, ea ratio ineunda mihi esse videtur, ut singillatim eos, qui has epistolas scripserunt, examinem, siquidem multa, quae in eorum sermone a ceteris differunt, ex unius cuiusque indole iudicanda sunt. Tantummodo ea vocabula, quae aut primum in his epistolis aut apud neminem alium inveniuntur, in uno conspectu posita praemittere libet.

1) Substantiva in -io terminata: 8, 11, 4 (Caelius) explosio (ἅπ. λεγ.), 10, 7, 1 (Plancus) exhortatio, quo solus Quinctilianus usus esse videtur, 16, 27, 1 (Q. Cicero) verberatio (Ulpian. Dig. 47, 10, 5 § 1). 2) Substantiva in -or: 8, 1, 4 (Caelius) susurrator, quod uno loco Vulgatae exstat, 10, 12, 3 (Asinius Pollio) circulator, quod alia quidem vi praeditum a Celso et Seneca usurpatur, ad Att. 8, 2 (Balbus) relator, Berichterstatter im Senat, eandem vim in Inscriptione quadam habet, apud Sidonium autem aliosque latius patet = Berichterstatter. Diminutiva haec inveniuntur: 4, 5, 4 (Sulpicius) animula, quo quamvis etiam Cicero ad Att. 9, 7, 1 utatur, tamen alia vi praeditum est, 11, 13, 2 (D. Brutus) copiolae (ἅ. λ.), 8, 3, 1 (Caelius) otiolum (ἅ. λ.), 12, 15, 2 (Lentulus) navigiolum (Auct. b. Afric. 61, 2).

Adiectiva: 8, 1, 4 (Caelius) subrostranus (ἅ. λ.), 8, 6, 4 (Caelius) alimentarius (hic primum invenitur), ibid. viarius (ἅ. λ.) lex viaria. 10, 33, 4 (Asinius Pollio) Hirtinus = Hirtianus.

Adverbia 8, 8, 2 (Caelius) ferventer, ferventissime (ἅπ. λεγ.) (ferventius Augustinus usus est).

Verba: 8, 9, 5 (Caelius) contristare, postea a Vergilio et Seneca usurpatum, 8, 4, 2 (Caelius) scaturire (apud Senecam et Columellam item exstat), 15, 19, 1 (C. Cassius) regerere primum hoc loco reperiri videtur, e posterioribus solus Horatius eadem vi praeditum usurpat (convicia regerere), 10, 15, 4 (Plancus) praecognoscere (praecognito nostro adventu) vox rara ap. Suetonium, Boëthium, in Vulgata 1. Petr. 1, 20 exstat; 16, 27, 2 (Q. Cicero) dissuaviari (ἅπ. λεγ.). Ex hoc indice praeter ceteros Caelium linguam latinam novis verbis ditasse apparet.

Jam vero ad singulos scriptores transeamus. Atque agmen eorum ducit Servius Sulpicius Rufus, in quo Cicero (Brutus, § 150, 156) cum multa alia tum haec laudat: ‚Adiunxit iuris prudentiae et dialecticae etiam litterarum scientiam et loquendi elegantiam, quae ex scriptis eius, quorum similia nulla sunt, facillime perspici potest.' Quod a docto et intellegenti eius rei existimatore Cicerone vere iudicatum esse, inprimis ex duarum epistolarum priore, qua Ciceronem de morte filiae consolatur, cognoscimus. Quo magis miror eum a communi illius aetatis consuetudine discessisse ita scribendo: Ut cum aliquo adolescente primario coniuncta aetatem gereret. Lexicographi docent verbum gerendi interdum cum verbo agendi commutari. Namque pro Ciceroniano ‚gerere personam alicuius' Seneca ‚agere pers.', pro eo, quod ap. Caelium II, 9 et 17 ‚nobilem ag. et mirificum civem ag.' exstat (cfr. Tacit. exulem agere) Plin. Paneg. 44 ‚principem gerere' dixit atque Valerius Max. in eadem sententia utrumque verbum nullo significationis discrimine usurpavit 7, 7: Multo Q. Metellus praetorem urbanum severiorem egit, quam Orestes gesserat. Eam tamen, de qua agitur, locutionem ‚aetatem gerere', si poëtas, ut Valerium Flaccum excipis, nemo in usum suum convertit usque ad Suetonium, qui Vesp. 24 dixit: annum gerens aetatis sexagesimum ac nonum et Domit. 1: primae adolescentiae tempus gessisse fertur. Praeter hanc dictionem et ea, quae supra attuli (minoris existimare, circumcirca alia) nihil est, quod ab illius aetatis usu differat, nisi quis verbum simplex minus usitatum ‚apisci' (laudem) pro composito § 6 usurpatum huc pertinere putat.

Duae epistolae Metellorum 5, 1 et 3 breviores sunt, quam ut de sermone eorum existimari possit.

Auctor ep. 9 et 10 eiusdem libri Vatinius est, quem antiquitate delectatum esse non solum ex eis, quas supra congessimus, verborum formis (velut dicier, mihi = mi, meme), sed etiam ex eis vocibus paullo magis priscis cognoscimus, quibus in his epistolis usus est. Namque ex vetustioribus scriptoribus, velut Plauto, mutuatus esse videtur praemandare (steckbrieflich verfolgen), et extricare, et quod 10, 2 exstat, disperdidit.

Contra in Lucceii, rerum scriptoris, sermone (ep. 5, 14) nihil est, quod cum aequalium loquendi usu discrepet.

Idem mihi iudicandum esse videtur de epistola Caecinae (6, 7) eius, qui propter libellum in Caesaris iniuriam conscriptum in exilium eiectus est (De ‚persuasus est' et verbo ‚recipiendi' cfr. ea, quae supra monui).

In perbrevi Bithynici epistola (6, 16) locutio est: repetere initia amicitiae ex parentibus nostris, quae proxime accedit ad similitudinem eius, quod Cicero ipse pr. Caec. § 10 dixit: Et si forte videbor altius initium rei demonstrandae petisse.

In Curii epistola 7, 29 quae inveniuntur, coemptionalis et fidelia iam apud Plautum exstant. Praeteriens commemoro nos ex hac epistola sola proverbium ‚duo parietes de una fidelia dealbare' cognitum habere.

Venio ad septemdecim epistolas Caelii sive Coelii, quae libro octavo continentur. Quarum cum tam magnus numerus sit, ut inde de Caelii sermone optime existimari possit, operae pretium esse videtur indicare, quid et antiqui et recentiores scriptores de eo iudicarint. Atque Cicero in Bruto § 273: ‚Nec vero M. Caelium, inquit, praetereundum arbitror, quaecunque eius in exitu vel fortuna vel mens fuit: qui quamdiu auctoritati meae paruit, talis tribunus plebis fuit, ut nemo contra civium perditorum popularem turbulentamque dementiam a senatu et a bonorum causa steterit constantius; quam eius actionem multum tamen et splendida et grandis et eadem inprimis faceta et perurbana commendabat oratio. — Hic, cum summa voluntate bonorum aedilis curulis factus esset, nescio quo modo discessu meo discessit a sese ceciditque, posteaquam eos imitari coepit, quos ipse perverterat.' Quibuscum conferenda

sunt, quae Quinctilianus pluribus locis (1, 6, 29; 4, 2, 123; 6, 3, 41; 8, 6, 53) et Auct. Dial. de Orator. 21 de eo iudicaverunt. E recentioribus praeter Bernhardy et Teuffel Ellendt. (Hist. eloquentiae Rom.), Suringar (M. Caelii Rufi et M. Tullii Cic. epistolae mutuae Lugd. Bat. 1845)* et B. Nake (der Briefw. zw. Cic. und Caelius, Fleckeisens Jahrb. 89, pag. 60—68 et De M. Caelii Rufi epist. Symb. phil. Bonn. 1867, p. 373—384) accurate de eo disputaverunt. Omnes in eo consentiunt Caelium hominem depravatorum illum quidem morum, sed summi ingenii fuisse. Et vero perfacetum atque peringeniosum eum fuisse non solum voces, quas supra attulimus, ab eo primum inventae, sed etiam plurima translate dicta demonstrant, quae ex omnibus epistolis collecta primum proferre libet. Atque 8, 1, 4 exstat: Septimam legionem vapulasse i. e. detrimentum accepisse; 8, 2, 2 nobilem agere et 8, 17, 1 mirificum civem agis (apud Terent. et Ciceronem histrio lenonem, servum agere dicitur); 8, 4, 4 Nam in disputando coniecit illam vocem Cn. Pompeius et 8, 11, 3 in unam rem omnis contentio coniecta est (Cicero ipse conicere maledicta, crimen in aliquem dixit); 8, 5, 2 tralaticius, 8, 5, 3 introire de rebus usurpatum (si — eadem actio de provinciis introibit), similiter 8, 10, 2: a te litterae non venerunt, 8, 6, 2 abicere postulationem (Cic. abic. timorem, vitam, Livius abi. legem dixit); 8, 6, 3 Curioni nostro tribunatus conglaciat (Cic. de Nat. deor. 21, 10, 26 hoc verbo proprie utitur; in ep. II, 13, 3, qua Cicero ad Caelii ep. 8, 6 respondit, similiter verbum congelandi translatum est: congelasse nostrum amicum laetabor otio. Quibus verbis praecedunt: Erat in eadem epistola veternus civitatis); ibid. Nisi ego cum tabernariis et aquariis pugnarem, veternus civitatem occupasset. Eodem pertinent, quae sequuntur: si Parthi vos nil calfaciunt, nos hic frigore frigescimus et § 5 Quod tibi supra scripsi Curionem valde frigere, iam calet: nam ferventissime concerpitur (verbum concerpendi ipsum, ut simplex carpere, translate dictum, hoc uno loco invenitur). 8, 8, 1 C. Sempronium Rufum, mel ac delicias tuas vel a Plauto mutuatus esse vel e sermone familiari petisse videtur. 8, 8, 2 quo vento proicitur Appius minor; ib. § 3 Servilius saucius Pilio tradetur. 8, 9, 1 civem bonum ludit; 8, 10, 2 velificari alicui = eifrig wirken; ib. excitare sermones (Cicero ipse exc. fletum, risum, plausum dixit); ib. § 3 efficax ad hominem translatum, ut apud Horat. Epod. 3, 17. 8, 11, 1 in difficilem nodum incidere,** § 2 intercessionem evocare (Cicero ipse hoc verbum translate usurpavit, cum dixit ‚misericordiam evocare') ib. § 3 Scena rei totius haec. 8, 13, 1 cetera aetate iam sunt decussa. 8, 14, 2 invidiosa coniunctio — ad bellum se erupit (ap. Caes. b. c. 2, 14, 1 hostes se erupere, ap. Vergil. Georg. 4. 368 se erumpit Enipeus) ib. § 4 ostenta facere (cfr. Georges s. v. ostentum) ib. Persuasum est ei censuram lomentum aut nitrum esse, ib. discordias, quas ferrum et vis iudicabit. 8, 17, 1 cuius amicitia me paullatim in hanc perditam causam imposuit (Petron. periculo imp.) ib. § 2 nec videmini intellegere, qua nos pateamus et qua simus imbecilli. Accedit 8, 5, 3 Sane tamquam in quodam incili iam omnia adhaeserunt, quod simile ne ineptum esse putes, fac reputes Caelium, cum ea scriberet, aedilitatem gessisse. — Age vero ea, quae praeter translate dicta plus minusve ab aequalium scriptorum usu discrepant, consideremus. Atque in primae epistolae § 1 Caelius data opera pro usitato ‚dedita opera' dixit, quod Plin. Ep. 7, 12 extr. imitatus est. Ep. 3, 1 delectem otiolum meum breviter dixit pro ‚me delectem in ot m.' Ep. 4, 2 ut se fert ipse primus Caelius dixisse videtur, quem post Vergil., Livius, alii secuti sunt, § 3 praetoriis dixit omisso voc. comitiis. Ep. 8, 1 calumniam ferre (Georges s. v. calumni vertit für einen Schikaneur erklärt werden) apud Caelium solum reperitur. Contra quod ibidem exstat ‚tibi pro beneficio dederit', Ciceronianum esse de off. I, 15 demonstrat. Quod § 3 est calumniam iurare Georges Sulpicio, non Caelio attribuit. § 9 confidentiam (confid. vox a Plauto frequentata est) afferre solus Caelius dixit. Ep. 9, 1 risum facere invenitur, cum Cicero risum movere dixerit, § 2 voc. successio = Nachfolge im Amt, etiam in ep. Bruti invenitur. Ep. 10, 3 inde, post ‚primum', in enumeratione usurpatum est. Ep. 11, 2 (his gratiae sunt agendae, quod tantum) ‚voluntatem ostenderunt' apud

* Hunc librum ut inspicerem, mihi non obtigit.

** Hanc locutionem Georges s. v. nodus Ciceroni attribuit. Idem valet in 15, 5, 2 s. v. praerogativa. 10, 4, 2 s. v. care a Bruto profectum dicit, quod Planci est, cfr. 8, 8, 3. In quibus etsi erratum est, tamen facere non possum, quin magnis laudibus illum lexici auctorem efferam, quod diligentissime etiam in has epistolas inquisiverit.

solum Caelium exstat. Idem valet in locutionem beneficia solvere, quae ep. 12, 1 exstat (contra quae praecedit ‚beneficia alicui debere' Ciceroniana est). Quid? quod ibidem ‚sibi imperare, ut' dixit pro eo, quo ceteri utuntur, a se impetrare ut. Jam vero singulariter dictum est § 2 simiae illius voltum subire. Contra quod § 3 exstat: ut ulla lege mihi ponerent accusatorem ad similitudinem accedit eorum, quibus Cicero et Caesar utuntur: ponere iudicem, pon. custodem. In epistola quinta decima aliquot minus usitatae voces et locutiones inveniuntur: § 1 mala orbiculata (Varr.), § 2 discupio (Plaut. Catull.), Venere prognatus (Ennius, Plaut., Caesar), se Domitii male dant (similiter Terentius ‚turpiter se dare' dixit). Agmen claudit, quod ib. § 2 exstat quam multa. Alii scriptores vel sane addere solent, ut Sulpic. ad Cic. 4, 5, 1 sane quam pro eo ac debui et Cicero ipse de Leg. 2, 10 sane quam brevi vel valde, ut D. Brutus ad Cic. 11, 13, 3 nam suos valde quam paucos habet.

Libri decimi priore parte continentur undecim epistolae L. Munatii Planci.* Quem hominem mobilem nec sibi constantem fuisse cum res ab eo gestae tum ea indicant, quae Cic. ep. 10, 3, 3, ad eum scribit: Scis profecto — nihil enim te fugere potuit — fuisse quoddam tempus, cum homines existimarent te nimis servire temporibus. Idem tamen in eadem ep. summam eius eloquentiam praedicat atque ep. 16 scribit: ‚sub eas statim recitatae sunt tuae (litterae) non sine magnis quidem clamoribus; cum rebus enim ipsis essent et studiis beneficiisque in rem publicam gratissimae, tum erant gravissimis verbis ac sententiis'. Sermonem eius emendatum illum quidem neque inelegantem, sed interdum parum simplicem esse hi ex omnibus epistolis collecti loci demonstrent: 10, 4, 2 persuade tibi te unum esse, in quo ego colendo patriam mihi constituerim sanctitatem; 10, 7, 2 cum alii occupare possessionem laudis viderentur; 10, 8, 1 non enim praeteritam culpam videri volo redemisse (similiter Seneca ‚vitia virtutibus redimere' dixit), 2 professionem bonae voluntatis (similiter Velleius et Gellius locuti sunt), ib. cum in eum casum fortuna me demisisset, ib. impedimenta opponere, § 4 ut ad effectum horum consiliorum pervenirem (similiter Livius ‚postquam ad effectum operis ventum est'), ib. praematura denuntiatio boni civis imparati, § 5 ex quo intellegi potest curam reipubl. summae defendendae iampridem apud nos excubare, § 7 sin ad societatem integerrimorum et maximorum periculorum accedam; 10, 9, 1 in dies vero meritorum meorum fieri accessiones (Auct. b. Afric. magnas accessiones fecisse in operibus hostium expugnandis), cfr. 10, 18, 3 magnam etiam perditi homines accessionem sibi fecissent. 10, 11, 1 immortales ago tibi gratias, 2 animadverti nullum alium receptum Antonium habere nisi in has partes (similiter Livius ‚receptum habere ad poenitendum' dixit), 3 do quidem ego operam, ut etiam Lepidum ad huius rei societatem incitem; 10, 15, 2 in cursu bonorum consiliorum Lepidum adiuvandum putavi; 10, 21, 6 res publica in possessione victoriae deletis sceleratis permanebit (similiter Seneca non solum ‚in possessione esse', sed etiam D. 3, 7, 2 ‚se in possessione posuerunt' dixit). Pauca his adicienda sunt, quae quamvis pure dicta sint, tamen apud nullum aequalium scriptorum inveniuntur: 10, 4, 1 praeteriti temporis excusationem affero, quod te profectum audieram, 10, 8, 5 C. Furnio — plura etiam verbo, quam scriptura mandata dedimus, 6 periculum morari (similiter Caesar impetum m. dixit); 10, 15, 1 reconciliata voluntate nostra (similiter Cicero amicitiam r., gratiam r.), 2 fidem mihi dedit (Cic. fecit); 10, 17, 3 libenterque ei sum testimonio (alii ‚testimonium dare pro aliquo' dixerunt); 10, 21, 5 omnia integra servem et 10, 24, 2 nos adhuc hic omnia integra sustinuimus (Similia apud Livium exstant); 10, 23 manus sibi afferre = mortem sibi consciscere (Cicero ipse alteri mortem afferre dixit).

A ceteris Planci epistolis vicesimam quartam seiungendam censeo, quippe quae neque satis emendate neque eleganter conscripta sit multaque contineat, quae argenteae aetatis propria esse dixerim. Atque de singulari usu praepositionis in cum ‚gratias agere' coniunctae et de ‚expertum habeo' supra commemoravi. Deinde § 2 novissime in enumeratione pro ‚denique' usurpatum vix ante Senecam inveniatur. Adde, quod § 6 aversissimus (quod Wesenberg. eius loco ex coniectura posuit, adversissimus mihi quidem non probatur) cum dativo coniunctum primum

* Teuffel H. litt. Rom. 206, 8 de eo sic iudicat: Seine rhetorische Bildung, aber auch seine Eitelkeit erhellt aus seinen Briefen aus J. 710 und 711, welche sehr wohl stilisirt sind, mit Cadenzen, Anthithesen u. dgl. trefflich ausgestattet, aber mit ihren schönen Worten oft eine sehr zweideutige Gesinnung bemänteln. Nake de Planci et Ciceronis epistolis Berolin. 1866 eum appellat honorum appetentissimum.

apud Horatium Serm. 2, 3, 107 ‚aversus mercaturis' reperiri videtur. Verbum autem exigendi ea quidem significatione, qua § 7 praeditum est (De his rebus ut exigeret cum eo, Furnio mandavi), ap. Vergil. Aen. 4, 475 et 476 me legere memini (Ergo ubi concepit furios evicta dolore decrevitque mori, tempus secum ipsa modumque exigit), a quo in sermonem posteriorum scriptorum, ut Senecae (Ep. 27) et Plinii (Ep. 6, 12; 9, 26 dummodo destines diem, quo et de his coram exigere possimus) traductum esse videtur. Denique quod § 2 est ‚omnes gratas amicitias atque etiam pias propinquitates' et ipsum illam aetatem redolere arbitror, siquidem Cicero eiusque aequales magnam amicitiam, summam necessitudinem dicere consuerant (cfr. Naegelsb. Stil. § 70, 2 Woelflin. ad Liv. 21, 43). Accedit, quod non solum infinitivo praesentis cum verbo profitendi coniuncto, sed etiam mira repetitione verborum ‚in tua observantia, indulgentia, assiduitate' (§ 1) et sententia obscure enuntiata ‚quanta sit avidatas hominum non sine causa talis victoriae scio' iure offendimur.

De Asinii Pollionis epistolis (X, 31, 32, 33) Fr. Ellendtius Hist. eloq. Rom. p. 140, postquam commemoravit eos, qui aequissime de Pollione iudicassent, antiquorum et obsoletorum amorem ei obiecisse, qui paullo concitatius, siccam et duram eius orationem vocasse, sic pergit: ‚Tamen iure dici licet istam obsoletiorum captationem in tribus epistolis, quas ad Ciceronem dedit, non reperiri; sunt enim simpliciter et emendate scriptae. Prisca verba tantummodo tria reperiuntur 32, 1 bene peculiatus (Plaut.), 33, 1 postmodo (Ennii fragm. et Terent. postmodum), 33, 2 palpari, ad quae accedit 32, 1 locutio se ducere = aufugere, quod et ipsum Pollio a Plauto mutuatus esse videtur, apud quem haec exstant: Amphitr. 4, 38 Ad regem recta me ducam, Bacch. 4, 2, 11 ducere se ab aedibus, Aul. 4, 8, 8 se deorsum de arbore ducere. Restat, ut commemorem singulariter eum dixisse 31, 2: quia utrobique magnos inimicos habebam.

Libro undecimo epistolae Marci et Decimi Brutorum continentur. Quamquam a proposita ratione diversa esse videntur, tamen ea proferantur, quae de illius indole Ellendtius p. 137 disputat: ‚Sed inprimis gravis est, cum orationes perierint, ad indolem eloquentiae Bruti intellegendam epistola, quae inter Ciceronianis ad Fam. legitur libri XI tertia. Ea Cassii simul, qui collega Bruti erat, nomine scripta est, sed manifesto huius manum prae se fert, at non ad consulem reipublicae perniciosissimum a praetoribus viris amplissimis et gravissima quidem iniuria laesis scriptam dicas, sed a philosopho sapientiae fastigium in omnis contumeliae tolerantia quaerente: adeo lenis est, ne mollem et malorum publicorum aequissimo animo patientem dicam.' In verborum usu nihil est, quod a communi loquendi consuetudine abhorreat. Nam quod ibi arma minari, bellum suscitare invenitur, non ita multum differt a Ciceronianis dictionibus crucem minari, bellum concitare.

De Dec. Bruti vita et moribus cfr. ea, quae Teuffel Hist. lit. Rom. 209, 5 exposuit. Epistolarum decem non idem sermo et stilus est, siquidem aliae, ut 4, 20, 23, 26 pure et emendate, albae neglegentius conscriptae sunt. In ep. 9 praeter ea, quae supra commemoravimus, a communi usu differt collocatio verborum ‚Pollione Asinio', qua de re cfr. Weissenborn ad Liv. I, 56, 1: 1, 22, 1 et 4, 17, 2; 21, 6, 8 et 21, 11, 1; 2, 32, 8; 4, 14, 6). In ep. 10, § 4 molesta est ellipsis: Sed neque Caesari imperari potest nec Caesar exercitui suo sc. imperare potest; § 2 vacuitas, quae vox a ceteris de loco usurpatur, ad rempublicam consulibus orbatam translata est. Magis etiam a recepto usu differt § 5 subsistere sumptui, qua vi id verbum in Digestis demum et a Claudiano praeditum invenitur. In ep. 11 dura est structura verborum: Et biduo ab Allobrogibus et totius Galliae legatos exspecto. In ep. 13 haec a communi usu paullo diversa esse videntur: copiolae inopia pessime acceptae = confectae, ordinatim = ordinibus servatis (oppos. passim), detrimentum reipublicae injungere, simulatione reipublicae. Verum haec omnia ab indole linguae latinae non abhorreant, cum Cicero ipse simulatione Faustuli = angeblich als für F. dixerit. Minus autem mihi probatur § 4 meumque iter eo contuli, praesertim cum paullo ante dixerit: in posterum diem iter suum contulit. Vitiata lectione orta sunt, quae § 2 exstant: Biduo me Antonius antecessit, itinera multo maiora fugiens quam ego sequens (ubi propter ‚fugiens' ‚faciens' excidisse videtur). Restat, ut commemorem D. Brutum ep. 20, 2 verbo pertimefaciendi (quod in fragm. Pacuvii apud Non. 7, 2 exstat) usum esse (te pertimefacto) et ep. 23, 2 locutionem frenum mordere ad hominem ferocem et iussa detrectantem transtulisse.

C. Matii, de quo Teuffel 205, 5 accurate exposuit, epistola 11, 27 pure atque eleganter conscripta est. Solus tamen paullo audaciore metaphora aetatem praecipitatam dixit. Quod § 3 dixit: Neque enim Caesarem in dissensione civili sum secutus, etsi ei cum aequalibus commune est, tamen duos a Forcellin. omissos locos addere libet: Caes. b. c. 1, 67 in civili dissensione et Cael. ep. 8, 14, 3 in dissensione domestica. De soloecismo ‚non vereor, ne — valitura sit', supra mentio facta est.

Libro duodecimo continentur duae epistolae C. Cassii, una L. Cassii, duae Lentuli, una Trebonii. Atque in epistolis C. Cassii, qui idem 15, 19 conscripsit, nihil est, quod ab aequalium sermone discrepet. Contra in epistola tertia decima, quam Krause et Wesenberg non Caio, sed Lucio Cassio attribuunt, compluria id genus inveniuntur. Eis, quae supra commemoravi (digne ac, tibi vacat) addo § 2 non minimum, quam λιτότητα Nepotem frequentasse constat, ib. proxime hos cari (quamquam Cic. ipse dixit de Off. 3, 7 proxime autem et secundum deos). § 4 quattuor millium equitatum = quattuor millia equitum.

Lentuli sermonem ab Orellio vituperatum esse supra indicavimus. Mihi quidem multa, quae non satis recte dicta sunt, culpa librariorum orta esse videntur. Quorum nonnulla a Wesenbergio emendata sunt, cfr. 12, 15, § 1 et § 6. Locum desperatum § 4 Madvig. Advers. crit. II, 234 sanare studuit haec in ac, gerentes in gerunt, nostra ex parte in nos accipere portu mutando.* — Quae in ep. 14 inveniuntur locutiones reliquias colligere et rel. consequi (§ 1 ‚ut reliquias mei laboris colligerem', § 5 ‚priusquam reliquias meae diligentiae consequar') a Forcellini et Georges omissae sunt. Solus Lentulus negotia efficere pro usitato ‚negotia facessere' dixisse videtur (quem locum Georges praetermisit).

De Trebonio cfr. ea, quae Teuffel 209, 9 disputavit. Eius epistola non ineleganter conscripta in usu verborum eo differt, quod solus dixit § 1 noli putare me hoc auribus tuis dare (ap. Caes. b. c. 2, 27 ‚auribus servire' exstat), quod § 2 pleno gradu a re militari ad studia litterarum transduxit, § 3 prisco verbo concinnandi usus est, denique pusillum laxamenti dixit, quod Seneca rhetor in usum suum convertit.

Libro quinto decimo praeter C. Cassii litteras, quarum supra mentionem fecimus, perbrevis epistola M. Catonis continetur. In cuius principio singulariter dictum est: ut tuam virtutem, innocentiam, diligentiam — pari industria administrari gaudeam, quod Orellius interpretatur: a te adhiberi, collocari. Deinde § 2 gratulari secundum vetustiores scriptores, ut Ennium, Terentium, idem est atque ‚gratias agere'. Quod autem ibidem supplicationem triumphi praerogativam dixit, a Cicerone ipso illud verbum translate usurpatum est.

In epistola Ciceronis filii 16, 21 praeter ea, quae supra commemoravimus, multa sunt, quae ab aequalium sermone discrepent. Nam primum, quamvis apud Ciceronem ipsum (de Fin. 1, 18) ‚intercapedo molestiae' reperiatur, tamen nemo intercapedinem alicuius rei facere dixit. Jam vero § 2 buccinator existimationis solus is, qui has litteras exaravit, translate usurpavit. Deinde § 4 vocabulum convictionis etsi apud Ciceronem ipsum ad Quint. fr. 1, 1, 4, § 12 exstat, tamen alia significatione praeditum est, vox autem convictoris apud Horatium demum et argenteae aetatis scriptores invenitur. Denique § 6 suspicionem importare pro usitatis ocutionibus susp. movere (Cic.), inferre (Caesar) positum est.

Postremo quod in ep. Quinti Ciceronis 16, 26 lagenas exsiccare exstat, etiam apud Horatium et Senecam invenitur.

De eis litteris, quae volumine epistolarum ad Atticum datarum continentur, breviori mihi esse licet, siquidem paucae interque eas nonnullae admodum breves sunt. Atque in Caesaris et Pompeii epistolis (ad Att. 8, 11 A et C, 12, A, B, C, D) nihil prorsus est, quod a sermone Ciceronis differat, quod idem de Antonii, Matii et Trebatii, Balbi epistolis videtur statuendum esse. Nam quod 8, 16, A. 1 Balbus ‚suscipe curam et cogitationem' dixit, cum ceterorum sermone consentit, siquidem in C. Cassii ep. 12, 12, 1 exstat: gravem curam suscepisse, in ep. Caesaris ad Att. 9, 8, C. 1 de his rebus rogo vos, ut cogitationem suscipiatis, in Ciceronis ipsius ep. ad Att. 14, 20, 4 quaeris, ut suscipiam cogitationem, quidnam istis agendum putem.

* Quod supra omisi, h. l. commemoro in ep. Lentuli ad senatum data quattuor plenas formas verborum inveniri.

AUG 19 1904

Lc 40.533
Quo sermone ei, qui ad Ciceronem li
Widener Library 006367935
3 2044 085 196 673